

# EPISTULA LEONINA

## CXLVIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLVII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM DUODEQUINQUAGESIMAM (148) !**

## ARGUMENTA

**SATIS SUNT MIHI PAUCI....(Seneca / Nietzsche)**  
**VOTA IN NOVUM ANNUM ...LATINA (Agosto)**  
**VOTA IN NOVUM ANNUM...GRAECA (Agosto)**  
**TEMPUS QUO FUI PUER SILVICOLAE (II) (Rosegger)**  
**EXISTIMATIO LIBRI (Hirschler / LEO LATINUS)**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS**  
**SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam duodequingagesimam. Hôc die Christiani celebrant Festum Epiphaniae recordantes magos illos, qui stellâ ducti Iesum infantem in praesepe cubantem visitaverunt venerabundi (MATTHAEUS 2,1-16). Origines (185-254) narrat eos fuisse tres viros. Apud Caesarium (469-542) iidem leguntur fuisse reges. Postea iisdem regibus nomina imposita sunt haec: Caspar et Melchior et Balthasar... Haec hactenus. Tu autem hanc Epistulam Leoninam 148 tolle et lege et laetare et ...perge mihi favere!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.com/>

## LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**



**Festo Epiphaniae**  
**06. m.Ian. a.2018**



## **SATIS SUNT MIHI PAUCI, SATIS EST UNUS, SATIS EST NULLUS.**

**SENECA Epistulae Morales ad Lucilium I,7,11** Bene et ille, quisquis fuit - ambitur enim de auctore -, cum quaeretur ab illo quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventurae, '**satis sunt**' inquit '**michi pauci, satis est unus, satis est nullus**'. Egregie hoc tertium Epicurus, cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet: 'haec' inquit 'ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus'. [12] Ista, mi Lucili, condenda in animum sunt, ut contemnas voluptatem ex plurium assensione venientem. Multi te laudant: ecquid habes cur placeas tibi, si is es quem intellegant multi ? introrsus bona tua spectent. Vale.

**cfr Friedrich Wilhelm Nietzsche: Die Fragmente von Frühjahr 1884 bis Herbst 1885, Band 5 - Kapitel 13:** 37 [2] „Es ist ein schlechter Geschmack mit Vielen übereinstimmen zu wollen. **Mir genügt im Grunde schon mein Freund Satis:** ihr wißt doch wer das ist? **Satis sunt mihi pauci, satis est unus, satis est nullus.** Und zuletzt bleibt es dabei: die großen Dinge bleiben für die Großen übrig und aufgespart, die Abgründe für die Tiefen, die Zartheiten und Schauer für die Feinen, und, im Ganzen und Kurzen, alles Seltene für die Seltenen. Mein Urtheil ist mein Urtheil: dazu hat nicht leicht auch ein Anderer das Recht. — Und Sie, mein Herr Nachbar, der Sie mir eben über die Achsel in's Buch gucken, Sie sogar bestehen darauf, mir hierin zuzustimmen? Sie schauen in dieß Buch und sagen ja dazu? Fort mit Ihnen! Ich will durchaus nicht Ihrethalben gegen das, was ich eben schrieb, mißtrauisch werden. Auch ich nämlich liebe die Wahrheit, gleich allen Philosophen: alle Philosophen liebten bisher ihre Wahrheiten —“

**VOTA IN NOVUM ANNUM  
A MAURO AUGUSTO  
LATINE PROLATA**

**Novus incipit annus  
annum gratulor novum  
totoque pectore apprecor  
ut eiusdem exordia  
sint faustissima  
totus autem annus quam felicissimis  
et currat auspiciis et decurrat  
Candidus hic Novus Annus nobis eat  
Sint omnia laeta**

**MAURUS AUGUSTUS**

**VOTA IN NOVUM ANNUM  
A MAURO AUGUSTO  
GRAECE PROLATA  
EYXOMAI  
ΤΗΝ ΤΟΥ ΕΤΟΥΣ ΕΙΣΟΔΟΝ  
ΓΕΝΕΣΘΑΙ ΤΟΙΣ ΠΑΣΙΝ  
ΑΦΟΡΜΗΝ ΠΑΝΤΟΙΩΝ ΑΓΑΘΩΝ  
ΤΩΙ ΝΕΩΙ ΕΝΙΑΥΤΩΙ  
ΤΟΙΣ ΜΕΝ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ  
ΕΠΟΜΒΡΙΑΝ ΥΠΑΝΤΗΣΑΙ ΑΓΑΛΛΙΑΣΕΩΣ  
ΤΟΥΣ ΔΕ ΕΜΟΙ ΠΕΦΙΛΗΜΕΝΟΥΣ  
ΜΕΤ'ΕΥΛΟΓΙΑΣ ΑΣΠΑΣΑΣΘΑΙ  
ΤΗΣ ΤΟΥ ΧΡΟΝΟΥ ΕΝΑΛΛΑΓΗΣ ΤΑ ΠΡΟΟΙΜΙΑ  
ΤΟΝ ΤΕ ΚΥΚΛΟΝ ΤΟΥ ΕΝΙΑΥΤΟΥ  
ΔΟΞΗΣ ΚΑΙ ΤΙΜΗΣ  
ΚΟΣΜΗΘΗΝΑΙ ΣΤΕΦΑΝΩΙ  
ΕΡΡΩΣΘΕ ΚΑΙ ΕΥΔΑΙΜΟΝΕΙΤΕ  
MAURUS AUGUSTUS**

# TEMPUS QUO FUI PUER SILVICOLAE



**Has narratiunculas scripsit Petrus Rosegger,  
in Latinum convertit Leo Latinus.**

**Titulus originalis:**

*Als ich noch der Waldbauernbub war  
(ed. a.1900)*

## Quomodo attulerim delectamentum Diei natalis Christi<sup>1</sup>

Nescio an anno meae aetatis duodecimo factum sit, ut primâ luce diei Sanctae Vigiliae Christianae pater meus quateret umeros meos: ut expergiscerer et resipiscerem, nam se habere aliquid mihi dicendum. Oculi mox erant aperti, at quonam modo fieri potuit, ut animus meus resipisceret? Cum matre adiuvante tandem indutus essem et sederem sorbitionem matutinam sorbillans, somnolentiâ paulatim sublatâ pater meus: »Petre« inquit, »nunc audi, quid tibi dicam. En sume saccum vacuum, nam aliquid domum tecum afferes. Sume baculum meum, nam multum nivis est, et sume laternam, nam semita est mala et ponticuli sunt glacie obtecti. Descendas oportet in vicum *Langenwang*. Novisti *Spreitzeggerum* mercatorem lignorum *Langenwangensem*, qui adhuc mihi debet pecuniam, duos nummos aureos et triginta sex cruciatos pro larice, quam ei vendidi. Quem iubeo rogare, ut illos solvat; ianuam eius urbanê ut pulses petasumque deponas eius conclave intrans. Postea pecuniâ acceptâ eas ad mercatorem *Doppelreiter* et emas duas mensuras farinae similagineae et duas libras adipis bovini et salem pretii duorum grossorum et haec tecum afferas domum.«

Nunc autem adfuit etiam mater mea, ea quoque iam induta, cum sex fratres sororesque mei natu minores adhuc dormirent in lectulis suis parieti appositis. Mater autem sermoni patris se interponens dixit haec: »Si nihil habebō nisi farinam et adipem et salem, fieri non poterit, ut praepararem cenam diei Christi. Praeterea egeo faeculâ unius grossi, uvis quinque cruciatorum, saccharo quinque grossorum, safrano<sup>2</sup> duorum grossorum, novo condimento duorum cruciatorum. Necnon necessariae erunt nonnullae similiae<sup>3</sup>.«

»Ergo haec quoque emas«, pater addidit tranquillê. »Nisi pecunia tibi suffecerit, roga Dominum *Doppelreiter*, ut res tibi mutuas det et dicas me diebus Paschalibus, quibus ratio nummaria carbonum offeretur, pecuniam sedulê soluturum esse. Licebit tibi unam similam comedere, quia non revertêris ante vesperum. Nunc autem proficiscaris, nam

<sup>1</sup> Titulus originalis: *Als ich die Christtagsfreude holen ging*

<sup>2</sup> +safrânum, -i n. *Safran*. Latinum verbum mediaevale originis arabicae.

<sup>3</sup> simila, -ae f. *Semmel*. [Helfer, *Lexicon Auxiliare*, Saarbrücken 1991, p.501, s.v. *Semmel*: «simila, -ae f. 794, Kl.75»]

mox iam erit hora quinta, et properes, ut Langenwangam maturê advenias missam horae octavae participaturus.«

Haec omnia erant bona aptaque. Saccum pater alligavit corpori meo medio, baculum comprehendi manu dextrâ, laternam, cui imposita erat recens candela sebacea, sinistrâ, et sic profectus sum, qualis illo tempore diebus hiemalibus saepe proficiscebar. Semita a migratoribus calcata in nive altâ erat salebrosa nec semper erat facile ingredi vestigio illorum, qui praeierant, si illis fuerunt pedes nimis longi. Ne trecentos quidem gradûs feceram, cum in nivem prostratus sum laternâ deiectâ et extinctâ. Lentê resipiscens quaerebam, ubi essem et deinde pulcherrimam aspexi noctem. Quae primo mihi visa est tenebrosissima, paulatim nix candescebat, arbores nigrescebant, in altitudine autem stellae lucidê splendescebant. Etiam sine laternâ potest fieri, ut in nivem incidas, itaque illam seorsim sub frutice deposui; nunc autem sine candelâ res melius processit quam antea.

Devêni in saltum vallis, aqua Rivi Betullarii<sup>4</sup> glacie laevi oblecta erat, super quam, cum ponticulum transii, stellae caelo quodam modo patinabant. Postea mons erat transcendendus; in angustiis, quae appellatur Cucullus infernalis<sup>5</sup>, attigi viam districtus accessibilem, quae per silvam et campum defert in Vallem Murulae<sup>6</sup>. Qua in valle situm erat latum mare nebularum, in quod lentê inibam, et per âera umidum strepitus remotus coepit ad aurem meam transferri, nam in valle mallei fabricarum ferrariarum strepitabant, et interdum tramen ferrivarium devolvebatur trans pontes sonantes.

Longâ migratione factâ cum venirem in vallem ad viam ruralem, tintinnabant tintinnabula scloidiarum, nebula canescebat et lucescebat, ut vehicula et migratores, qui ad dies festos degendos iter faciebant in loco sibi patrio, iam cognoscerem per minores distantias. Postquam processi per horae spatium in valle, sinistrâ parte ad viam stratam in

---

<sup>4</sup> **Rivus Betullarius**, i.e. orig. *Fresenbach*. cfr Albrecht Greule, Deutsches Gewässernamenbuch. Etymologie der Gewässernamen. p.155, s.v. Fresenbach: „I.z. Feistritz bei Anger (PB Weiz, Steiermark, A) 1265 *Vreseyn*, 14.Jh. *Friesen*, ca. 1400 *Fresen*. Ausgangsform slaw. *Brèzina* 'Birkenbach'. Feminines Adjektiv abgeleitet. von urslawisch *berzà* 'Birke', eingedeutscht als mhd. *Fresîn* und sekundär erweitert mit dem Grundwort *-bach*'. Lochner von Hüttenbach, *Steirische Hydronyme*, S.79.“

<sup>5</sup> **Cucullus Infernalis**, i.e. orig. *Höllkogel*.

<sup>6</sup> \***Murula**, -ae f., i.e. orig. *Mürz*.



nebulâ emersit semita obscura, necnon dextrâ parte, sinistrâ complures, dextrâ series integra – accessi enim vicum Langenwangen.

Omnes homines vacantes adibant ecclesiam, nam vesper sanctus plena est expectationis atque consecrationis divinae. Iam antequam missa est incohata, magister scholaris macrâ staturâ inclinâtâ per ecclesiam gradiens homines contemplantes oculis recensebat, quasi aliquem quaereret. Tandem ad me accessit et submissê me rogavit, nonne follem trahere vellem organi, cum aegrotaret puer sacristani. Gaudio atque superbiâ completus, quod dignus habitus eram officio Domini, cum eodem ii ad conclave chorale, ut in missâ sacrâ follem organi traherem. Cum longa lora coriacea vicissim e capsâ traherem, in quam utrumque eorum lentê repebat, magister scholaris organo modulabatur eiusque filia cantavit hōc modo:

»Rorate, caeli, desuper,  
et nubes pluant iustum!

...<sup>7</sup> «

Praeterea recordor illo mâne missâ finitâ in ecclesiâ tenebrosâ ante imaginem viri sancti me genibus flexis oravisse, ut beatificarer atque fortunarer, ut munus imminens explerem quam felicissimê. Imagine illâ Quattuordecim Auxiliatores<sup>8</sup> depicti erant – nonne unus saltem illis interesse, qui adiuveret debita exigentes? At mihi visus est interprecationem meam unus lentê post alterum recedere.

Tamen bono animo excucurri in diem nebulosum, quo omnes sedulo praeparabant sollemnitatem, et adii domum Spreitzeggeri mercatoris lignorum. Modo cum ingressurus eram ianuam anticam, vetus ille Spreitzegger, quantum postea conclusi, voluit aufugere per posticam. Quod illi contigisset, nisi mihi suboluisset ipso eodem momento temporis: ‚Petre, noli domum intrare per ianuam anticam more domini; oportet sis animo humili, intra per ianuam posticam, ut decet puerum silvicolae’. Sic factum est, ut prope ianuam posticam inter nos conveniremus.

<sup>7</sup> orig.: ‚Tauet Himmel, den Gerechten,/ Wolken regnet ihn herab! / Also rief in bangen Nächten/ einst die Welt, ein weites Grab./ In von Gott verhaßten Gründen/ herrschten Satan, Tod und Sünden,/ fest verschlossen war das Tor/ zu dem Himmelreich empor.

<sup>8</sup> orig. *die Vierzehn Nothelfer*.

»Ah, puerule, scilicet te velle calefieri«, ille dixit voce blandulâ digito domum indicans, »ergo, ini ut calefias. Nam frigida hodie est tempestas!« et voluit abire.

»At ego«, respondi, »non frigeo. Sed pater meus iubet pulchrê salvere Spreitzeggerum et rogare, ut solvat pecuniam.«

»Pecuniamne? Quare?« ille interrogavit. »Ah, rectê, tu es puer silvicolae. Maturê surrexisti, si iter fecisti tam longum. Ergo requiescas. Equidem patrem tuum iubeo pulchrê salvere et dies festos felices exoptare; sic quoque mox aliquando ad vos ascendam, deinde computemus.«

Paene obmutui, cum tota cena nostra natalicia in periculum adduceretur hac re annuntiâtâ.

»Medullitus te rogo, ut des nobis pecuniam debitam, nam debeo emere farinam et adipem et salem neque mihi licet domum venire cum sacco vacuo.«

Ille autem me aspexit oculis torpidis. »Tu quidem *scis* rogare!« mussitans gestu quodam tardo protraxit magnam foliothecam<sup>9</sup> suam rubram, chartis vellicatis, quas non fuisse omnes chartas nummarias<sup>10</sup> verisimile est, extraxit nummum aureum et dixit: »En, sume nunc hoc, post duas septimanas pater tuus accipiet partem reliquam. Hodie non habeo plura.«

Nummo aureo manui meae imposito abiit me stantem relinquens.

At ego non stans remansi, sed ii ad mercatorem Doppelreiter. Ibidem rogavi tam aptê et tranquillê, quasi hoc nihil esset extraordinarii, duas mensuras farinae similagineae, duas libras adipis bovini, salem pretii duorum grossorum, faeculam unius grossi, uvas passas quinque cruciatorum, saccharum duorum grossorum, safranum duorum grossorum, necnon condimentum novum duorum cruciatorum. Dominus autem Doppelreiter ipse mihi administrans omnia fasciculis cucullisque bellê involvit, quos deinde taeniâ omnes colligavit, ut

<sup>9</sup> Helfer, op.mem., p.139, s.v. Brieftasche: „\*foliothec(ul)a, -ae f. [Eichenseer, 84,2].“

<sup>10</sup> charta nummaria *Banknote* [Helfer, op.mem., 106: Bacci 63,121]

fieret magnus fascis unicus, quem sacco farinae sic appendit, ut onera umero imposita portarem: uno fasce ante, altero fasce post pendente. His factis ex illo quaesivi voce haud minus subdolosê quietâ quam antea, quanti constarent haec omnia universa.

»Haec constant tribus nummis aureis quindecimque cruciatis«, ille respondit et cretâ et ore usus.

»Bene, assentior«, inquam, »en nunc tibi do unum aureum et reliquos pater meus sivicola Alpelensis solvet festo Paschae.«

Tum vir ille miserabilis me perquam iniquê aspiciens ex me quaesivit: »Festo Paschae? Quonam anno?«

»Proximo quidem, nummariâ ratione carbonum<sup>11</sup> propositâ.«

Nunc Domina Doppelreiter, quae aliis emptoribus administrabat, rei se intermiscens dixit: »Sine eum, marite, silvicola iam saepius a nobis mutuam sumpsit pecuniam, sed postea pro omnibus solvit decenter. Sine ei rem.«

»Scilicet sinam ei rem, non iam ei eripiam«, Dominus Doppelreiter respondit. En illum mercatorem commodum! At nunc similiae quoque in mentem mihi inciderunt, quas mater mea sibi mandaverat.

Itaque interrogavi: »Nonne fieri potest, ut hic accipiam etiam quinque similes?«.

Mercator: »Similiae« inquit »accipiuntur apud pistorem«.

Hoc quidem scivi, sed cum numquam per totam vitam meam audissem nonnullas similes emi posse pecuniâ mutuâ sumptâ, mercatrici (quam mihi favere statim animadverteram) bonâ fide confessus sum me omnino non idoneum esse ad pecuniam solvendam. Illa mihi dedit duos grossos integros ad similes emendas, necnon cum observavisset me oculis meis, qui erant ciliis pruinâ umidis instructi, inhiare in pruna Damascena, quae corbi infundebat anûs cuiusdam,

---

<sup>11</sup> nummâria ratiō carbōnum orig. *Kohlenraitung*.

mihi porrexit etiam volam huius rei delicatae dicens: »Quae ligurias inter iter faciendum.«

Sine morâ tolitim incedebam opiparê et graviter oneratus per latum angiportum.

Ubique passim in domibus mactabatur, furno coquebatur, assabatur, penora ex hypogeis promebantur; at ego illis non invidebam, sed illorum me miserebat, quod non fuerunt mei similes, qui migrarem Alpelam oneratus tantis beneficiis. Babae, quantam qualemque fore cenam Christianam crastinam! Nam matrem talem scire praeparare, si quidem haberet cibos necessarios. Porcum etiam esse domi mactatum, ergo comparari ius carneum cum frustis similarum, lardum, botellos, renunculos, carnem globulorum cum armoraciâ, deinde demum placentas fartas, collyras saccharinas, crustula adipata cum uvis passis safranoque! – Dominos illos Langenwangenses tales cibos comedere cottidie, hoc esse nihil, sed nos non saepius quam semel in anno stomachis non crudis tales cibos capere – *hoc* quidem esse aliquid eximium! – Tamen hoc iter onerosum faciens minus meditatus sum de cenâ quam de câro infantulo Christo eiusque sollemnitate sanctissimâ. Vespere domum cum venissem, e bibliâ de hac re me recitaturum esse, matrem ancillamque Mircelam cantaturas esse cantica natalicia; deinde, horâ decimâ, nos profecturos esse ad ecclesiam Sanctae Catharinae ibique celebraturos esse sollemnem missam Christianam campanas modosque musicos audientes innumeraque lumina spectantes. In altari autem laterali collocatum esse praeseptolium cum bove et asino et pastoribus et oppido Bethlehem monti insito et supra idem angeli cantantes. Gloria in excelsis Deo! – Haec cogitans primo tam vehementer promotus sum quasi essem âlis instructus. At cum aliquamdiu incessissem per miram viam ruralem lubricissimam, pedibus calcans nivem leviter crepantem, non potui quin fascem meum duplicem ex uno umero imponerem in alterum.

Prope cauponam, cui nomen erat ‚A saepimento incursorio’,<sup>12</sup> mihi obvênit aliquod vehiculum quattuor equis adiunctum. Scloidiola levis, cui adiuncti erant quattuor equi nigri acerrimi, altis pennis exornati, sedi insidebat carpentarius botonibus fulgidis, petaso alto instructus. Num eum esse imperatorem? Nequaquam, Dominus *Wachtler* castelli

---

<sup>12</sup> orig. *Zum Sprengzaun*.

*Hohenwangensis* sedebat in scloidiâ, pellibus abundê obvelatus sigarum voluptuosê fumificans. Ego constiti et paulisper vehiculum celerrimê praetervehens aspectavi cogitans: Haud ita iustê hunc mundum esse instructum. Ibidem insidere virum robustum, qui, quanto esset robore supervacaneo, ab equis se trahi sineret, cum ego vix par essem fasci meo portando.

Interim meridies erat facta. Per nebulam apparuit solis orbis lacteus, qui non in altum caelum ascenderat; nam quartâ iam horâ voluit denuo infra esse, propter longam noctem Christianam. Interdum sentiebam pedum meorum fervidam fornicationem usque ad pectus ascendentem<sup>13</sup> necnon membra mihi tremebant. Haud longê a loco illo, ubi via divertit ad Alpelam<sup>14</sup>, stabat crux, quae instructa erat imagine Servatoris iconicâ<sup>15</sup>. Quae crux stabat, ut hodie adhuc stat, ad eius calcem stabant Iohannes atque Magdalena; haec omnia pariete e tabulâ facto erant obtecta et quadamtenus sacello similia. Ante crucem in subsellio hominibus genu flexo orantibus destinato, consedi pransurus. Similam, quae erat mea, cupiebam devorare morsibus paucissimis. At haud salubre est celeriter degluttire, hoc scivi ex aliis hominibus auditum, et lentê comedere est diutius frui, hoc scivi ipse iam expertus. Ergo statui, ut similâ fruerer satis commodê et consideratê, necnon interim ligurrirem prunum aliquod Damascenum tostum.

Hoc prandium fuit valdê delicatum; quando hodie aliquid sat bonum volo habere comedendum, hoc laboribus constat omnis modi extraordinariis; eheu, quam pauper est homo ne umquam quidem ullâ egestate laborans!

Quam dives ego illo tempore fui, quo fui pauper!

---

<sup>13</sup> **formicātiō**, -ōnis f. orig. *Prickeln* cfr PLIN.28,71 corporum fornicationes. e.al. **formicātiō ascendēns** cfr Thomas Simson 1752, p.44: "But in other cases, where the persons are not so quickly struck, they observe the progress distinctly: as *Van Swieten* describes, in §234 aphor., in a case he saw, and has often occurred, as we formerly observed; two of which I myself witnessed: *in digito majori, says he, pedis sentitur titillatio quaedam, ac si formicae reperent per partem; ascendit ille motus per crus, foemur, abdomen et praecordia usque; tunc mox cadit convulsus toto corpore.* - cfr dolor ascendens: Thomas Arnold (ed.), *Memorials of St. Edmond's Abbey, Cambridge 1890*, Jocelin de Brakelonde (a.1182 abbas factus), *Cronica*, p.215: "**ascendit dolor** usque ad cor, et ex dolore arripuit eum febris tertiana, et in quarta accessione expiravit; et animam reddidit Deo in crastino sancti Bricii."

<sup>14</sup> \***Alpela**, -ae f. orig. *Alpel*. Quae est vicus *Petri Roseggeri* patrius.

<sup>15</sup> **iconicus**, -a, -um orig. *lebensgroß*. cfr Georges, *Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch*, op.mem. II, 21, s.v. *iconicus*: „...nach dem Leben dargestellt = mit Porträtähnlichkeit und in Lebensgröße..“.

Bene pransus cum fascem duplicem denuo subbaiularem, portavi libenter, et vegetê promotus sum. Postea in silvas montanas ascendens canâ nebulâ densâ in arboribus nive oneratis pendente, in mentem mihi vênit *Iohannulus Grabler*. Is erat vecturarius carbonum, qui cottidie e vico Alpelâ carbones portabat in Vallem Murulae. ‘Utinam hôt quoque die veheretur! Utinam ille nunc sclodiâ vacuâ mihi obveniret meumque fascem sclodiae imponeret! Immo me ipsum! Eheu quam calida est tempesta mediâ in hieme! Sudo mediâ in nive inter glaebas glaciales! At cras oblivione obtegentur omnes labores!’ Talia cogitans animo conficta iter faciens tempus fallebam.

Subito odoratus sum fumum tabaci. Proximê post me ibat - perquam submissê calcans – *Cilianus Viridis*. Cilianus prius aliquamdiu fuerat adiutor saltuarii, nunc non iam fuit, habitavit cum familiâ suâ in casâ aliquâ ibi in regione *Fischbachensi*, non satis bene notum erat, quid ageret. Nunc îdem domum ibat. Qui corbem dorso imposuerat, quem gerere ei non esse videbatur valdê molestum, vestis eius adhuc erat venaticia, sed bellulê detrita eiusque barbae nigrae plenitudine non multum apparebat faciei aliquatenus luridae. Cum a me animadversus esset, fumaculo ex ore exempto cachinnans dixit:

»Quo vadis, puer?«

»Domum«, respondi.

»Quidnam portas?«

»Res in Diem Christi destinatas.«

»Bonasne res? Babae! Cuius es?«

»Silvicolae.«

»Ad silvicolam ascensurus es? Ergo tibi properandumst.«

»Iam propero«, dixi gradumque acceleravi.

»Tanto itinere facto nocte bene dormies«, Cilianus dixit aequos gradûs faciens.

»Hodie non dormietur nocte, hodierna nox est Christiana.«

»Quidnam aliud vis facere nisi dormies?«

»Ibo in ecclesiam Sanctae Catharinae ad missam celebrandam.«

»In ecclesiam Sanctae Catharinae?« ille interrogavit, »Tamne remotam?«

»Horâ decimâ vespertinâ domo proficiscemur et horâ tertiâ matutinâ redibimus.«

Cilianus tubum fumaculi mordens: »Hoc, audi, non fit nisi magnâ fide Christianâ. Die in Vallem Murulae, nocte in Ecclesiae Sanctae Catharinae missam sacram! Tantum fidei Christianae mihi non inest, sed hoc unum tibi dico: Si fascem tuum corbi meo dorsali indideris, ut ego tuo loco illum portem aliquamdiu, perquam rectê feceris, nam quid nocet me quoque asinum veterem aliquando onus portare!«

His verbis assensi, et fasce me illius corbi illabente cogitavi Cilianum Viridem meliorem hominem esse quam dici.

Dum denuo profecti sumus, ego liberê leviterque iuxta illum prosilui.

Cilianus acerbê queritans: »Heus Natale Domini!« inquit, »quo festo omnia fiunt sursum deorsum. Tum homines confabulantur de eo festo tantâ cum animi excitatione atque pietate, quantae non sunt verae. Reverâ dies Christianus nullo modo alius est ac dies alius, ne pauxillulo quidem alius. At hominibus, quales nos sumus, omnis dies est dies parasceues<sup>16</sup>.«

»Parasceues quoque dies est pulcher«, equidem sensi.

»Certê sic sentiat is, qui satis abundat piscibus et butyro et ovis et placentâ, et placentis fartis, quibus ieiunet!« Cilianus dixit cachinnans.

Iste mihi visus est aliquatenus loqui more paganico. Sed ea quae dixit reliqua, non iam intellexi, nam coeperat valdê vehementer prodire, ut aegrê sequerer. Omni gradu per nivem lubricam aliquatenus relapsus sum, sed Cilianus ferramentis pedestribus longisque pedibus instructus, non erat lassatus – scilicet eum celeriter progressum esse.

---

<sup>16</sup> diês parasceuês orig. *Karfreitag*.

»Domine Ciliane!« vocavi.

At ille hoc non audivit. Distantia mei et illius etiam etiamque augebatur, in viae flexuris interdum integer evadebat e conspectu, et postea maiore distantia crepusculo nebuloso ferê obvelatus denuo emergebat. Nunc timui, ne fascem meum perderem. Nam iam appropinquabamus Cucullo Infernali. Qui est ille locus, ubi via Alpeliana et Fischbachiana inter se decussantur. Coepi currere; coram periculo evaserat omnis fatigatio, catelli more cucurri, ut illi appropinquarem. Quidnam facerem, si illum assecutus essem, sed illi deesset voluntas res reddendi, mihi autem vis sumendi? Eheu bellulê actum iri de hâc die finiendo, nam me res meas non deserturum esse, etsi necesse esset Cilianum persequi usque ad casam eiusdem post silvam Fischbachianam sitam!

Cum nos ambo mirê celeriter progredieremur, nacti sumus sclodiam duobus bobus adiunctam, quae denigrato vecturario carbonum insidente lentê per viam repebat. Cui insedit Iohannulus Grabler. Cilianus autem meus Viridis modo erat sclodiam boariam praeteriturus, cum ego e longinquo exclamavi vehementissimê: »Iohannule! Iohannule! Impone, te amabo, res meas diei Christiani sclodiae tuae, Cilianus illas habet in corbe suo et dicas illi, ut tibi det!«

Verisimile est clamorem meum fuisse valdê anxiosum, nam Iohannulus statim e sclodiâ esiluit et corpus efformavit ad facinus paratum. Cilianus autem ubi primum animadvertit mihi esse socium, corbe de dorso suo erepto fascem in sclodiam deiecit. Dentibus frendens aliquid mussitavit de »ursis stultis« et »animo ingrato«, - et sine morâ aufûgit evasit erupit.

Iohannulus autem fasce correcto me interrogavit, num liceret sibi in eodem sedere. Quod rogavi, ne faceret.

Ergo ille non consedit in fasce meo, nos unus iuxta alterum in sclodiâ consedimus, egoque ambabus manibus diligenter tenui res in Diem Christi comparatas. Sic tandem vênimus Alpelam. Cum primum pontem advenissemus, Iohannulus bobus dixit: »Oha!« et mihi: »Sic!« Boves intellexerunt et constiterunt, ego autem non intellexi sedensque remansi.



Sed non iam diu remansi, nam oportuit descenderem, Iohannulo vehendum fuit sinistrorsum, in fossam, mihi autem dextrorsum, in montem.

»Deus tibi gratias agat, Iohannule!«

»Iam satis est, Petrule.«

Tempore, quo cum onere meo montem arduum ascendebam versus domum meam patriam, advesperavit et ningere coepit. At denique fui domi.

»Habesne omnia?« mater me rogavit ad focum stans.

»Omnia!«

»Probus es. Certê esuris.«

Utrique rei assensi. Statim mater a pedibus meis exuit calceos meos glacie obduratissimos, nam volui eosdem recenter adipe unctum iri ad missam nocturnam adeundam. Deinde in conclavi mediano calefacto consedi cenaturus.

At ecce, inter cenam memoria mea finitur – Cum resipiscerem, in lecto iacebam bene edormitus sole Diei Christiani matutino per fenestellam splendente.



**PETER ROSEGGER**

poeta Austriacus Stirianus  
(1843-1918)



In vico *Krieglach* (in Stiriâ Austriacâ sito) invenitur Viridarium Roseggerianum. Medio in eodem viridario stat haec sculptura a *Paulo Kassecker* confecta, quae appellatur '*Als ich noch der Waldbauernbub war*'. Qua monstratur Petrus puer pastor ovium nubes aspectans somniabundus.

## CAPITULUM 23-25

### LIBRI PETRI ROSEGGER,

*c.t. Als ich noch der Waldbauernbub war*

### IN LATINUM CONVERTIT

### LEO LATINUS



**QUI TEXTUM ORIGINALIEM INVENIT HOC IN SITU RETIALI, QUI SEQUITUR:** <http://gutenberg.spiegel.de/buch/als-ich-noch-der-waldbauernbub-war-1309/38>

**CAPITULA ORIGINALITER INSCRIBUNTUR HIS VERBIS:**

*Als ich die Christagsfreude holen ging.* cfr EL 130, 04-13: Quomodo Emmaum iter fecerim.

**EDITORES INTERRETIALES FONTEM INDICANT HUNC QUI SEQUITUR:** Peter Rosegger: *Als ich noch der Waldbauernbub war*, München (L. Staackmann Verlag) 1972, opus primo editum est a.1900.

## EXISTIMATIO LIBRI: CALIO. Fabula Latina

Mythologia Graeca. Volumen Primum. Calio Fabula Latina scripsit Michael Hirschler. Vindobonae MMXVII. Hanc fabulam finxit scripsitque: Michael Hirschler. Imagines pinxit: Ivan Zamylov. ISBN-13 : 978-1978197169. 59 pp. € 10,60.

Haec fabula lepidè ficta paululum similis est mytho Apollinis atque Daphnes: Nam auctor animo fingit, cum Apollo Amorem puerilem irrideat, adesse etiam deam Dianam atque nympham Calionem. Quia Calio quoque deum amoris irridet – eodem modo ac Apollo - sagittâ percutitur amoris, ut in amorem incidat cuiusdam iuvenis. Concubitu nocturno fit, ut Calio amittat suam virginitatem. Hac de causâ Calio a Dianâ crudeliter punitur eo, quod facie cicatricibus deformatâ e nympharum sodalicio reiciatur atque expellatur. Itaque Calio in silvis desolata vitam degit tristissimam. At denique verum amorem nacta a Veneris execratione liberatur...

Libelli involucrum esse perquam decorum, argumentum huius fabulae esse lepidum lepidaque esse sex lineamenta, quibus idem illustretur, libenter affirmamus. Laudanda quoque est ratio, qua auctor vocabulorum significationes indicet prope textum bene accessibiles atque legibiles.

Sed nunc perquirenda est res, quae nobis est gravissima: Qualisnam est huius libellus sermo Latinus? Ut eundem ad obrussam exigamus, necesse est singulas sententias perquirere. En lege ea quae sequuntur:

**Pagina V, linea 3sq.** ...sed fabulae Graecae illae notissimae non narrantur (non: fabulas Graecas illas notissimas non narrantur). – **V,6** quas (non: quae). – **V,10** lectoribus lectricibusque, qui/quae... *Talis usus pronominis, ut ita dicam, alternativus (cui subest studium feminismi propagandi quadamtenus anancasticum) a Latinitate discrepat.* – **V,10sq., item V,15** vel in pueritia vel in adolescentia vel in senectute sunt. *Latinius: sive sunt pueri sive adolescentes sive senes, aut: sive sunt aetate puerili sive iuvenili sive senili.* – **VI,2sq.** Quoniam illa verba in nominativo et ablativo singulari littera «a» finiuntur... *Latinius: Quoniam illorum verborum nominativus et ablativus singularis desinunt in litteram a...* **VI,4** distinguantur (non: destinguantur). – **VI,7** Culpa ergo mea ipsa est, si invenias qua menda sive grammatica sive stilistica. *Latinius: Si quae menda invenies ...eadem solâ meâ culpâ effecta esse scito.* – **VI,9** Ego gratias maximas ago etiam Ivan Zamylov... *Praenomen oportet declinetur, ut syntaxis sit perspicua: ...Ivano...VII,5 et 7sq.* ...fuit...fuit...erat...fuit...fuit... *Quidni semper "erat"? cfr Menge §320,1: "...So wechselt nun in der Erzählung das*

*Imperfekt mit dem historischen Perfekt ab, indem dieses die neu eintretenden Begebenheiten bezeichnet (tempus narrativum), jenes die begleitenden Nebenumstände angiebt, Beschreibungen einflcht, Zustände schildert (tempus descriptivum). Das Perfectum steht alsdann stets auf die Frage ‚was geschah darauf?‘, das Imperfectum auf die Frage ‚was war damals?‘... Perfecto procedit, imperfecto insistit oratio. Das Perfekt führt die Erzählung weiter, das Imperfekt hält sie eine Zeitlang an...“ - VII,9sq. Calio interdum controversiam immo vero cum Dianā ipsā habebat. Latinius: ...habebat cum aliis, quin etiam cum Dianā ipsā... “immo vero” hōc loco non quadrat, cfr Menge §484,11,p.324: “Immo ist nicht unser zusagendes und Beifall gebendes ‘ja’, sondern verneinend (berichtigend) ‘nein vielmehr, nein im Gegenteil, ja doch’, und giebt an, daß das vorher Gesagte als nicht zutreffend oder in der Frage liegende Zweifel als unbegründet verworfen werden müsse, ...Sehr oft wird immo durch vero verstärkt, z.B. Si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius? Immo vero obsecrabitur patrem, ne id faciat... Das bejahend steigernde ‘ja vielmehr, ja sogar’ heißt quin, quin etiam, quin contra, quin potius (cf.358,3), atque etiam, atque adeo, z.B. Credibile non est, quantum scribam die, quin etiam noctibus. - VIII,2sq. ...audiverunt controversiam inter Apollinem, Dianae fratrem, et Amorem, amoris deum. Latinius: Post ‘controversiam’ suppleatur sentiola relativa, q.e.: ‘quae fiebat inter...’. - VIII,10 Contemptu... melius adhibetur adverbium: Contemptim. - VIII,10sq. «Da arcus tuus in cuiusdam viri fortioris manus!» recte: »Inde arcum tuum manibus viri fortioris!« - VIII,15 venatae sunt rectius: venabantur (i.e. venari solebant). - IX,1sq. Calioni autem poenas pro contemptu eius dedit... Auctor iuncturam verbalem, q.e. poenam dare falso intellexit: poenam dare est i.q. puniri, non est i.q. punire! Itaque recte dicendum est: Calioni autem poena constituta est pro contemptu illius - X,1 egregia recte: egregia. - X,9 Tam operam dabo, ut Apollo Daphnem amet, sed Daphne non eum! Recte: Operam dabo, ut Apollo Daphnen amet, Daphne non eum. ‘Tam’ est supervacaneum. Nomen Daphnes Graecum solet Graece declinari, accusativus singularis est ‘Daphnen’! cfr Kühner, Lateinische Grammatik, Teil I, §97 Griechische Feminina der ersten Deklination: »3. Von den Eigennamen erscheinen folgende nur mit Formen der griechischen Deklination (-ē, -ēn, Abl. -ē): Agave, ... Daphne... «. - X,12 Adulescens fuit pulchrior quam omnes, quos Calio adhuc viderat. Latinius: ...quos Calio unquam viderat. - X,14 adulescenti lavanti melius: adulescenti se lavanti. - XI,3sq. ...in nullo loco vidi talem pulchrum adulescentem quam te. Latinius: ...nusquam vidi adulescentem te pulchriorem. - XII,4 virginitatem suam omisit - rectius: amisit. - XII,5 Virginitas sibi momentum non iam habuit. Recte: Virginitas ad eam momentum non iam habuit. - XII,9 Athanor tantum respondit aptius: Athanor nihil respondit nisi: ... XII,17 Nos hac nocte libenter convenire possumus. Latine: Libet tecum hac nocte convenire. - XIV,3 solum pulchritudinis eius causā. Latinius: solā pulchritudinis causā. - XIV,8 venit melius: ibat. - XIV,9 omisisse recte: amisisse. - XIV,9sq. ...sed amor Athanoris maior fuit quam ratio ipsa. Latinius: At puella amans facta est amens. - XIV,12sq. Adulescens ergo nympham toto suo pectore non amavit, sed solum pulchritudinem eius. aptius: Ergo adulescens nympham non medullitus amabat, sed formā tantum eius delectabatur. - XIV,16sq. Illa Athanorem illum esse adulescentem putavit quem nubere voluit. Latinius: Calio Athanorem esse eum adulescentem credidit, cui nuptura esset. XIV,18 Calio occasionem quaesivit, ut Dianae diceret... recte: occasionem quaesivit, qua Dianae diceret...XV,3 dea ad Calionem dixit melius: dea Calioni dixit. - XV,3sq. in convivio nostro non interfuisti... aptius: Convivio nostro non interfuisti. - XV,11 locus non est. Latinius: Non iocor. - XV,19sq. perturbatae fuerunt. recte: perturbatae sunt. - XVIII,2 perturbataeque fuerunt recte: perturbataeque sunt. - XVIII,3 Ne te extuleris! Latinius: Ne superbiā te extuleris! - XVIII,5 Tu pulcherrima omnium eras! recte: fuisti! - XVIII,6 omittas recte: amittas. - XIX,8 At Athanor Calionis facie cum eam vidisset territus est. Latine: At facie Calionis aspecta Athanor territus est. - XIX,9 territe Istud adverbium non solet adhiberi. Scribas: Athanor territus exclamavit... - XX,1sq. Facies eius tunc pulcherrima cicatricum*

plena fuit. Crines spadices cani fuerunt. *Intellegibilis: Facies Calionis antea pulcherrima nunc fuit plena cicatricum. Crines eius antea spadices nunc fuerunt cani.* **XX,6** de verbis auditis admiratus est *melius: miratus est.* – **XX,7sq.** Mulier summae pulchritudinis in matrimonium ducere volo. *Latine: Mulierem summae pulchritudinis in matrimonium ducere volo.* **XXI,6sq.** ...amavit. Olim erat pulcherrima, sed nunc turpissima. *rectius: ...amaverat. Olim ea fuerat pulcherrima, sed nunc fuit turpissima.* – **XXII,10** omiserat *recte: amiserat.* – **XXII,11** Ita est, sed poena a te data gravior quam mea est! *cfr IX,1sq. Auctor iuncturam verbalem poenae dandae falso adhibet. recte: Ita est, sed poena a te constituta gravior est quam mea!* – **XXII,12** Sol omnividens. *melius: Sol omnia videns.. Adiectivum '+omnividens' non est antiquum, sed mediaevale, cfr Franz Blatt, Novum Glossarium Mediae Latinitatis, OD-opertorium, Hafniae 1978, p.189.* – **XXII,14** Amicam carissimam omisi et tu in culpa es! *latinius: Amicam carissimam amisi tua culpa!* – **XXII,16** Amor risum edidit: «Apollinem quoque punivi...» *Latinius: Amor ridens: »Apollinem« inquit »quoque punivi...«* – **XXII,18** Apollo eam toto pectore amat, sed Daphne eum odit. *melius: Apollo illam amat medullitus, sed illa eum odit.* – **XXIII,6sq.** Si rex deorum dearumque audiat, quibus poenis Amor filiam filiumque eius affecerit, deus puerilis certe gravius punietur. *Latinius: Rex deorum si audiverit, quibus poenis Amor filiam filiumque suum affecerit, deum puerilem certe gravius puniet.* – **XXII,11sq.** Consilium habeo. Calionem adiuvo in inveniundo amore vero. *aptius: Scio, quid facturus sim, ut Calio inveniatur amorem verum.* – **XXIV,11** fuit *melius: erat.* – **XIV,13** ...*(sc. Calio) lauta est, ne aqua turpitudinem eius reciperet. Recte: ...turpitudinem suam reciperet.* – **XXV,1** aciem gladii retundebatur... *recte: acies gladii retundebatur...* – **XXV,8** ...orans se a sorte sua liberari. *recte: orans, ut a sorte sua liberaretur.* – **XXVI,2sq.** Etiamsi obluta sis meum iam nomen... *recte: Etiamsi obluta sis meum iam nomen...* **XXVI,3sq.** Accipe dona mea, quae tibi ipsae sacrifico... *recte: tibi ipsi...* **XXVI,9** rogot te: ... *recte: rogo te.* – **XXVI,10** Nihil adfuit. *melius: Nemo adfuit.* – **XXVI,14** Iterum talis dies, quo dea me non audivit... *Latinius: En etiam diem, quo dea me non audit.* – **XXVIII,1** Multi anni praeteriti sunt. *recte: Multi anni praeterierunt.* **XXVIII,1** Calio iam nescivit, quamdiu sola esset. *rectius: Calio iam nescivit, ex quo tempore sola esset.* – **XXVIII,4** amavit *accuratius: amaverat.* – **XXVIII,5** reliquit *accuratius: reliquerat.* – **XXVIII,6** dixit *accuratius: dixerat.* – **XXVIII,6** irrisit *accuratius: irriserat.* **XXVIII,8** dixit *accuratius: dicebat.* **XXVIII,8** eram *accuratius: fui.* – **XXIX,1** ligna in silva collegit ad cibum coquendum. *Melius quam 'ligna' quadrant 'cremia'.* – **XXIX,2** Facies cicatricosa velata erat. *melius: Faciem cicatricosam velaverat.* **XXIX,2sq.** Subito magnum cuiusdam ursi mugitum audivit. *Latinius: Subito audivit ursum vehementer uncantem. - Ursi apud auctores antiquos dicuntur uncare, saevire, rugire, murmurare, fremere, sed nullum locum antiquum inveni, ubi ursi mugiunt. Mugire enim dicuntur boves! – cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., tom.II, col.3297, s.v. unco: „unco, uncare, unken, Naturlaut der Bären, Suet.fr.161. p.247,6 Reiff. Anthol.Lat.762,51 (233,51).”* – **XXIX,3sq.** Tunc, cum venatrix erat, Calio ad ursum properaret ad bestiam necandam. *Latine: Illo tempore, quo venatrix fuerat, Calio ad talem ursum properavisset, ut necaret.* **XXIX,6sq.** Ferte mihi auxilium! ... Ferte mihi auxilium! *aptius: Subvenite! ....Subvenite!* – *cfr CIC.div.I,57 Qui ut cenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur;... cfr responsorium christianum: Subvenite sancti Dei, occurrere angeli Domini: suscipientes animam eius: offerentes eam in conspectu Altissimi.“* – **XXIX,6** sonavit *recte: sonuit.* – **XXIX,8sq.** Repente autem mugitus ursi silentium rupit. *melius: Repente ursus uncans silentium rupit. cfr supra XXIX,2sq.* – **XXIX,12** ursus mugivit *recte: uncavit, cfr supra XXIX,2sq.* – **XXIX,15sq.** Calio etiam iuvenis arcum fractum conspexit. *intellegibilis: Calio etiam arcum viri fractum conspexit.* – **XXIX,16sq.** Sic Calio lapides sustulit iaculataque est eos in caput ursi. *Latinius: Sic Calio lapides sublato in caput ursi iaculata est.* – **XXX,1** Ursus mugivit magna voce. *melius: Ursus uncavit magna voce... cfr supra XXIX,2.*

SUFFICIENT HAE EMENDATIONES: Nam – ut ait Horatius – *est modus in rebus, sunt certi denique fines*. Doleo, quod reliquae illae paginae opusculi Hirscheliani haud minus mendosae sunt quam paginae hîc loco tractatae.

In situ interretiali Amazoniano, quo Fabula Calionis prostat venalis, quaedam magistra eandem laudat eximiê<sup>1</sup>:

»\*\*\*\*\*Quinque asteriscorum omnes (huic opusculo sunt attributi). Quem esse **librum bellissimum Latine scriptum**. Scripsit emprix Amazoniana d.24. m.Nov. a.2017: „Hic liber est scriptus sermone Latino **pulchro** et intellegibili (cui inest tota haec multiplicitas phaenomenorum grammaticorum et constructionum, qua Latinitas insignis est). ....Auctori contigit, ut lingua Latina componeret fabulam pulchram et conclusam, quae non solum intellegitur ab hominibus specialiter doctis, sed etiam a discipulabus studentissive (quod mihi **magistrae quondam Latinitatis** licet ita dicere). ... Pulchrum est etiam hodie scribi narrationes librosque fabulis romaniceis similes.... Hunc librum commendo omni viro mulierique, cui libet Latinitatem tractare more insolito et legere fabulas Latinas“«.

Valde vehementerque doleo, quod non video, quid causae sit, cur huic laudationi immodicae assentiar. Nescio, quid huic magistrae videatur esse Latinitas pulchra: *de gustibus et coloribus non est disputandum*. Libello attentê perlecto equidem pro certo habeo eundem scriptum esse **sermone parum recto nimisque salebroso**. Seneca quidem scribit corpus vel pulcherrimum non expers esse naevorum atque verrucarum; sed si hanc fabulam existimo secundum rationem *Latinê* scribendi, facies *Calionis* – iam ante poenam a Venere constitutam - mihi quidem videtur esse cicatricosior, quam ut eandem dicam pulchram.

Cum autem Latinitatem *Calionis* salebrosam non possim, quin vituperem, tamen laudo auctorem, quod naviter operam dedit fabulae lepidae narrandae amaritudinique discendi deminuendae. Eundem

---

<sup>1</sup> textus originalis invenitur hîc:

<https://www.amazon.de/Calio-Fabula-Latina-Mythologia-Graeca/dp/1978197160> „**Top-Kundenrezensionen. 5,0 von 5 Sternen**. Tolles Buch in lateinischer Sprache. Von Amazon-Kunde am 24.November 2017. Das Buch ist in einem **schönen** und verständlichen Latein geschrieben (mit der ganzen Palette an grammatikalischen Phänomenen und Konstruktionen, die das Lateinische nun mal so hat). ... Dem Autor ist es gelungen, eine schöne geschlossene Geschichte in lateinischer Sprache zu verfassen, die nicht nur für Latein-Spezialisten verständlich ist, sondern auch für Latein-SchülerInnen oder StudentInnen (das kann ich als **ehemalige Latein-Lehrerin** so sagen). Im Buch finden sich auch ein paar Abbildungen, die den Inhalt von einigen Kapiteln sehr gut wiedergeben. Schön, dass auch heute noch romanartige Geschichten und Bücher in lateinischer Sprache geschrieben werden. ... Ich kann das Buch jedem/jeder empfehlen, der/die sich gerne mit Latein auch auf andere Weise beschäftigen möchte und gerne lateinische Geschichten liest“.

adhuc iuvenem, si sedulo perrexerit studere Latinae linguae subtilitatibus semanticis grammaticis stilisticis pernoscendis atque observandis, pro certo habeo paulatim et gradatim exolitum esse sermonis sui asperitates. **PER ASPERA AD ASTRA!**

**FABULAM CALIONIS**

**A MICHAELE HIRSCHLER**

**LATINE SCRIPTAM**

**EXISTIMAVIT**

**LEO LATINUS**



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90




**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM DUODEQUINQUAGESIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Festo Epiphaniae  
d.06. m.Ian. a.2018**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.de/>